



Index contentorum.

1. De balsamo Peruviano.
2. de prudenti utrum medicamenti exploratione.
3. de erroribus circa usum topicorum in praxi.
4. de natura & praesertim vini Rhenani
5. de Beradypsis
6. de purgantibus fortioribus ex praxi cūciendis.
7. de anatomia publica.
8. de luxationum syntheſi in genere.
9. de auditu difficulti
10. Ulcerum etiologia & curatio
11. de purgantibus selectis & minus cognitis.
12. de specificis antispasmodicis.
13. de perpetuo fistilio ex thorace.
14. Pathologia diuinatur Helmontiani.
15. de morbis licenit.
16. de affectu raro scorbutico pustulari.
17. annorum climacteriorum rationalis explicatio.
18. de specificis antispasmodicis.
19. de bile medicina & veneno corporis.
20. de Carolinis thermis.
21. de temporibus anni infelicitibus.
22. de temperamento fundamento morum & morborum.
23. de morbis certi regionibus & populari propriis.
24. crisiū natura & explicatio rationalis.
25. de inflammatione ventriculi.
26. de siderum in corpora influxu.
27. de methodo vitam longam acquirandi. Wolffii epistola.
28. medicus sui ipsius.
29. de astmate convulsivo cum hydrope pectoris
30. de anatomia in praxi medica usu.

X c. 33.

DISSERTATIO SOLENNIS-MEDICA

BRADYPEPSIA  
SIVE  
TARDIORI VENTRI-  
CULI CONCOCTIONE,

*Quam*  
AUSPICE DEO

IN ILLUSTRI FRIDERICIANA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

Dn. FRIDERICO WILHELMO  
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRAN-  
DENBURGICI HÄREDE, ETC. ETC.

P R A E S I D E

Dn. FRIDERICO HOFFMANNO  
MEDICINÆ ET PHILOS. NAT. PROF. PUBL. OR.  
DINARIO, POTENTISS. REGIS BORUSS. CONSI-  
LIARIO ET ARCHIATRO,  
*PATRONO SUO ÆTERNUM COLENDO,*

PRO GRADU DOCTORALI  
SUMMISQUE IN MEDICINA PRIVILEGIIS  
RITE IMPETRANDIS

ad d. Jul., MDCCIII. horis ante- & pomeridianis  
IN AUDITORIO MAJORI

Eruditorum disquisitioni publicæ submittit

FRIEDERICUS PFENNING,  
Kil. Holsatus.

---

HALÆ, Typis IOANNIS GRUNERI, Acad. Typogr.



VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQUE  
EXPERIENTISSIMO,

**DN. JOH. CASPARO  
PFENNINGIO,**

Medicinæ Doctori felicissima pariter ac diffusissima per Holsatiam præxi longe Celeberrimo, Reverendiss. & Sereniss. Lubecensem Episcopi Consiliario & Archiatro Gravissimo,

*DOMINO PARENTI DE SE SUISQUE STUDIIS  
MERITISSIMO,*

Vitæ diuturnitatem ac fausta quævis precans,


**DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM**

In debiti amoris, observantiae atque obsequii tesseram ea, qua decet, pietate

D. D. D.

Filius observantissimus & obsequentissimus,

**FRIDERICUS PFENNING.**



Q. D. B. V.



Onsiderata mihi magna ac prope infinita morbosorum affectuum copia, quæ valetudini atque incolumentati generis humani quotidie insidias parat eamque non raro destruit ac pervertit, dubium ac plane incertum reddit animum, quemnam potissimum eorum Thematis Inauguralis loco explicandum mihi feligerem. Opportune autem venit in mentem eorum opinio, qui plerorumque, ne dicam omnium morborum originem ac fontem ventriculum arguant, inque ejus vitiis habentis justa correctione curationis fere omnis cardinem versari contendunt. Quam quidem sententiam licet in totum meam facere nolim, persuasissimum tamen habeo, saepius eum, quam quidem vulgo creditur, fabulam ludere, non quidem, quod ab ini-

A

tio

tio statim male constitutus, prima semper morbosæ cladis  
fundamenta jaciat, quamvis, non raro ita sese rem ha-  
bere, non eam inficias; quin potius quod, aliunde licet  
enata habe, vix liceat ipsi esse salvo ac incolumi, sed in socie-  
tem malorum veniens consueto suo officio minus dextre  
defungatur, ut ita chylificatio læsa, tanquam faecundissima  
cruditatum mater, causæ quasi procatarcticæ faciem in-  
duat, ac non solum oleum deinceps flammæ addat, & præ-  
sentia mala foveat intendatque, verum insuper etiam no-  
va aliorum accessione eorundem numerum augeat cu-  
muletque. Rectissime proinde in statu p. n. tantum non  
semper aliqua ventriculi ratio habetur, utpote quæ cura-  
tionem, quamvis non absoluat penitus, egregie tamen  
juvat ac promovet; neglecta vero felicem ejusdem succe-  
sum plurimum si non frustretur penitus, certe retardat insig-  
niter atque remoratur. Quæ cum accuratius pensita-  
rem, nullus amplius dubitationi locus relictus videba-  
tur, quo minus Bradypepsi Disputatione Inaugurali  
mihi sumerem explicandam. Quod ut feliciter cedat,  
Divini Numinis auxilium devotis precibus imploro.

§. I. Vox

**V**ox Brädypepsiæ, Græcos habet natales, conflata ex βραδὺς tardus, & ωέπηω coquo, quasi dicas tardam coctionem scilicet ventriculi, siquidem Veteres eum ollæ aut lebetis instar se habere credebat, hincque contingentem in eo chylificationem per modum coctionis fieri statuebant. Contradistinguitur non solum Apepsiæ sive abolitæ chylificationi, cum particula Græca inseparabilis et privationem significet; Verum etiam Dyspepsiæ, quæ vox Galeno ac plurimis aliis Authoribus depravatam ventriculi coctionem denotat, quamvis alii per imminutam explicent, non secus ac appetitum imminutum dicunt Dyforexiā, cum particula ἀλις voculis adjecta non præcisè male ac depravatè quid fieri aut se habere indicet, quin potius quamvis difficultatem designet; jam vero quæ tarde fit, quæ imminuta existit chylificatio, ea ægre ac difficulter procedere rectedicatur. Quamvis autem derivatio ac vis vocis posteriorem hanc explicationem facile admittat, cum tamen ulum, quo verba non minus ac nummi valere non immrito dicuntur præ opriori magis significatione militare deprehendam, malui affectum, circa quem præsens occupabitur tractatio, Bradypepsiā inscribere, actionem imminutam indicaturus. Evidem inficias ire nolim, quin imminuta Chylificatio ordinarie aliquid depravati insimul involvat, dum chylum minus exaltatum ac perfectum crassum crudumque producit: quæ forte etiam causa non nullos movit, quod depravatam ventriculi actionem dicerent brädypepsiā: at vero cum depravatæ vitium veluti effectus quidam ab imminuta dependeat, insuperque aliquando aliam caussam agnoscere possit, satis recte imminutæ Chylificationi Bradypepsiæ titulus constabit.

II.

Expedita termini ambiguitate , ut ad rem ipsam proprius accedam , Bradypepsia mihi dicitur actio ventriculi ac intestinorum imminuta , alimentorum extractionem tardius & imperfectius praestans , ac modo menstrui extra-hentis ; modo organi calore motuque suo extractionem juvantis ; modo denique alimentorum extrahendorum culpa contingens . Evidem affectus nostri subjectum unicus vulgo creditur ventriculus , utpote cui totum Chylificationis negotium in statu s. n. tribui consuevit , cum tamen in communionem laudis hujus recte venire videatur intestinorum tenuium ; si non omnis , certe maximus tractus , non solum ratione caloris motusque sui , peristaltici dicti , ventriculo haud cedens , verum etiam similem liquorem ipsamque insuper bilem assumitis alimentis affundens . Nec obstat quod in ventriculo longiore paulo moram trahant alimenta , utpote quam intestinorum longitudo satis superque compensare videtur , ut adeo chylosis , uti in ventriculo inchoatur , ita , in intestinis continuari & absolui , atque chylus inibi ulterius perfici ac ultimam quasi manum experiri recte dicatur , proindeque una cum ventriculo intestina subjectum affectus nostri jure meritissimo nuncupentur ,

III.

Antequam vero causarum evolutioni me accingam , operae pretium facturus mihi videor , si chylificationem , prout instans . n. sepe habet , breviter exponam , non nisi primas quasi ejus lineas ducturus , cum id praesenti instituto abunde sufficere possit . Fieri igitur illa ac absolvvi per modum solutionis & extractionis cujusdam mihi creditur , ita ut objectum extrahendum constituant alimenta , particulis nutritiis chylosis gelatinosis feta , ( sive ea sub

sub nomine cibi sive potus assumantur) quæ modo suffici-  
cientem præparationem in culinis; conquassando, con-  
tundendo, incidendo, aslando, elixando, similibusque mo-  
dis aliis pluribus peractam admiserunt; modo inter assu-  
mendum demum masticationis, quæ incisoribus ac molari-  
bus dentibus perficitur, beneficium experiuntur, non  
secus ac in Chymicis res extrahenda incisione, pulveri-  
satione, tritura, aliisque artificiis eo disponi solet, ut ma-  
jorem natu[r]a superficiem, actionem menstrui eo promptius  
admittat. Quod vero nostro inservit negotio menstru-  
um, id non ex uno ac simplici emanat fonte, sed plures  
agnoscit scatebras, compositum scilicet ex saliva ac li-  
quore seroso, quem gulæ quidem glandulæ parciore, ven-  
triculi autem majore quantitate fundunt, accedente de-  
inde non absimili alio, qui ab intestinorum glandulis pro-  
ficiuntur, nec non succo pancreatico ipsaque deinde bili-  
le, quam copiosissimo sale salso turgidam ab injuriis vete-  
rum, inutilem & excrementitum humorem urgentibus, jure meritoque recentiores vindicarunt. Atque hi  
liquores, uti conjunctim menstruum chylificans consti-  
tuunt, ita omnes, unica excepta bile ejusdem plane indo-  
lis ac naturæ deprehenduntur, nisi quod unus præ alio  
præcipue saliva, copiosioribus gelatinosis moleculis in-  
structus, majorem consistentiam præ se ferat, cum reve-  
ra sunt ipsissimum Mseæ serum, in glandulis salivalibus,  
gulæ, ventriculi, intestinorum atque pancreatis (quod ex  
minutulis glandulis, in unum quasi acervum conglomeratis, totum conflatum est) mechanicæ, quam obtinuerunt, conformatio[n]is beneficio ab eodem secretum. Quan-  
doquidem autem salinæ haud tamen acidæ, sed ad salis  
sali f[er]i seu enixi indolem ac naturam proxime accedentes)  
pauciores ipsi obtigerunt particulæ, contra vero aqueæ  
longe

longe maxima quantitate in eo abundant non deficien-  
tibus insuper gelatinosis moleculis, in felicioris harum at-  
que alimentorum permixtionis gratiam oppido necessa-  
riis: magno oeconomiæ animalis commodo factum cre-  
di debo, quod copiosissime sale turgida bilis, quam hepa-  
tis glandulosi acini secernunt, reliquo liquori accedat, ul-  
timum quasi complementum ei addens, quo extractionem  
justam eo facilius ac rectius perficiat, & absolvat. Atque  
hic multiplex liquor, aliorum liquorum, sive in cibis ipsis  
contentorum, sive potus nomine venientium, cum sibi  
soli relictus, quantitati alimentorum haud respondeat ac-  
cessione ulteriori, insuper locupletandus, uti brevitatis  
gratia deinceps menstrui nomine mihi designabitur, ita  
haud simul & semel sed successive alimentis extrahendis  
admisceretur, siquidem aliqua ejus parte jam in ore inter  
masticandum irrigantur, alia eaque uberiori in ventricu-  
lo ipsis præstolante ac perpetim eo confluente, cum,  
quod reliquum ejus est, in ipso tandem intestinorum tra-  
ctu illis confundatur. Quamvis autem eorum pariter  
atque ventriculi cavitas, hoc nomine cum vase seu rece-  
ptaculo componi possit, in quo extractionis nostræ ne-  
gotium absolvatur, haud tamen merè passivæ se habent  
viscera ista, uti quidem veterum nonnullis vidabantur,  
cum, ut alia mittam, & calore suo, qui à sanguine pro-  
prio non nihil intenditur, & motu, quem fibris suis mu-  
scularibus tunicam carneam constituentibus, debent, chy-  
lificationem insigniter promoveant, non secus ac Chymi-  
ci actuali calore crebriorique vasis continentis concussi-  
one, qua contenta intus agitantur, extractionem quam-  
vis juvant & accelerant, quæ absque iis si esset, longiori  
multum temporis spatio indigeret, quin & ita felix omni-  
busque numeris absoluta sæpius haud obtineretur. His  
igitur

igitur subsidiis suffultum menstruum chylificationem  
præstat, dum assumtorum massæ, activitate sua dissolu-  
tæ, comminutæ, laxatæ, multumque subactæ, pulpæ mol-  
lioris consistentiam ac formam inducit, sensimque parti-  
culas gelatinosas oleosas à reliquarum compage liberatas,  
porisque suis exceptas imbibit, ac absorbet, quibus satura-  
tum ac tunicæ intestinalis sive crustæ, quam dicunt, villo-  
sæ poris, tanquam colo naturali, filtratum extractum no-  
bis constituit, quod, non secus ac chymicis productum  
ejusmodi tincturæ seu essentiaæ titulo condecorari soler-  
t, chyli nomine insignitum omnibus innotuit, foecum resi-  
duarum, instar capit is cuiusdam mortui commoda per  
alvum subsequente exclusione. Adeo chymicorum opera-  
tioni naturalis hæc extractio, ac ovum ovo, similis videtur!

§. IV.

Ex iis quibus statum s. n. nonnihil adumbravimus  
facile colligere possumus, in statu p. n. chylificationem  
iminui culpa modo menstrui extrahentis; modo calo-  
ris & motus extractionem juvantis; modo denique ali-  
mentorum tanquam objecti extrahendi, quæ cum causæ  
proximæ sive immediatæ instar fæse habeant, singula accu-  
ratiorem merebuntur considerationem. Quod ergo  
*I. ad liquorem gastricum* tanquam menstruum attinet, non  
unum rursus ac simplex sed varium prorsus ac multi-  
plex, quo chylificationem lædit, ejus deprehendimus  
vitium quale quidem *I. est quantitas deficiens nec molli ex-  
trahenda proportionata*, cum menstruum ultra sphærarum acti-  
vitatis suæ (uti loquuntur) agere nequeat, hincque inter  
illud ac rem extrahendam justa proportio necessario re-  
quiratur. Neque enim major alimentorum moles à mi-  
nore menstrui quantitate sufficienter subigi, & ad dimit-

B

ten-



tendum, quas in sinu suo foveret, particulas chyloſas diſponi poterit, nec qui eas admittere deſebant, pori menſtrui excipiendarum numero reſpondebunt, ut proinde utroque nomine chylificationis negotium turbetur ac impediatur.

S. V.

Atro carbone notanda etiam erit 2. *nimia menstruē nostri aquoſtas*, ſive eam conſideres ratione ſalinarum; ſive ſubtiliorum ac ſpirituofarum particularum, quarum beneficio id obtinetur, quod ab aqueis ſolis connubio iſtarum deſtitutis, fruſtra ſperaretur. Certum enim eſt, & extra omnem dubitationis aleam poſtrum ſalia notabili præ aliis particulis gaudere & rigiditate & acutie, ut proinde ipsarum aetio per vim ac potentiam cunei rectiſſime explicetur, neque in alias particulas impingere ac in-pelli poſſint, quin eas findant, dividant, & in minores mo-leculas divellant, atque diſcerpant. Jam vero ſi ſpicula hæcce in menstruo noſtro rariora occurrant, ac abun-dantibus contra aqueis nimium diluantur, haud totidem iectus, ac ſi numerosiora adeffent ſalia, aſſumta alimenta fuſtinebunt, quibus alias non ſolum particulae eorum chy-loſae gelatinosae abraduntur, aquearum poris illico ex-ciendiæ; verum etiam fibræ inciduntur ac dilaceran-tur, compages ſolvitur, partes crassiores in minores mo-leculas rediguntur, ac proinde pori antea profundius latentes extravertuntur, ipſisque aqueis menstrui par-ticulis porta aperit, ut omnia intimius penetrare, ma-jorem vim ubique exterrere, ac respondentes poris ſuis par-ticulas detergere, excipere, ſecumque abripere po-ſſint. Quandoquidem autem vis cunei non a ſola depen-det figura, ſed motus inſuper accedat neceſſe eſt, quo in obje-

objectum diffingendum feratur iste ac impingat; jam  
vero cuneoli isti tive falia, quibus menstruum nostrum  
præditum est, vix alio motu gaudent, quam quem ab  
aqueis, quibus innatant, particulis lucrantur ipsæ insuper  
aqueæ, licet intestino, quamdiu fluiditatem servant; mo-  
tu perpetuo agantur, eundem tamen debiliorem ac pla-  
cidiorem experiuntur: non exigui profecto momenti  
erunt particulæ menstrui nostri subtiliores, quæ in ube-  
riori motu constitutæ, aquearum, quibus permixtæ sunt,  
ipsarumque proinde etiam salinarum motum uti neces-  
fario, ita notabiliter augent, ac intendunt, ut eo majori  
vi ac efficacitate chylificationis negotium moliantur &  
perficiant. Per subtilem autem istas particulas nolo equi-  
dem ipsos spiritus animales intellectos quos ex nervo-  
rum canalibus in ipsam ventriculi cavitatem excidere,  
ac liquori gastrico intimius nubere nonnulli volunt, nul-  
lo probabili suffulti arguento, cum ad motum ventri-  
culi uberiorem, cuius necessitatem §. VIII. declarabit,  
perficiendum notabilis omnino spirituum copia hosque  
advehentium nervearum propaginum numerus requi-  
ratur, proindeque nulla urgente necessitate atque preca-  
rio, imo invita plane minerva duplex filamentorum ner-  
veorum conformatio fingatur quatenus aliæ in ipsam ven-  
triculi cavitatem aperiri & hiare aliæ in ipsam partis sub-  
stantiam, ut alias fieri solet, se insinuare statuuntur. Re-  
ctius proinde hoc loco in medium advocare licebit par-  
ticulas istas, quæ, quamdiu sanguini permixtæ perstant,  
spiritus vitalis nomine veniunt, in cerebro vero secretæ,  
spirituum animalium titulo insigniuntur: has, inquam,  
& quæ ad harum indolem ac subtilitatem proxime ad-  
spirant, designamus, quæ uti cum massa sanguinea, cui

permixtae latent, ad omnes corporis partes feruntur & appellunt, ita in glandulis menstrui nostri secretioni dicatis ab eadem una cum aqueis aliisque, quibus id praeditum est moleculis, secedunt. Has ergo quandocunque deficere contingit, chylificationis negotium minus commode succedat necesse est, eo quod menstruum magna motus sui intestini parte, quam in statu s. n. illis debet, defraudetur, proindeque cum salinæ tum aqueæ ipsius particulæ nec toties repetitis vicibus nec tanta vi ac impetu, ac quidem alias conlueverunt, in assumpta alimenta ferantur ac impingant, sicque compagem eorum tardius dissolvant, chylofasque particulas minus promte abrundant, porisque suis excipient.

§. VI.

Accedo nunc 3. ad menstrui nostri vitiosam crassitiem; sive ea particularum gelatinosarum, quarum hic etiam in statu s. n. aliquis, parcior tamen, datur proventus; aut terrestrium mucosarum ac viscosarum nimiae moli proportionem, quæ cum aqueis intercedere illis debebat, laudenti debeatur, sive earundem, justam licet quantitatem haud excedentium, arctiori congressui mutuae implicacioni firmiorique cohæsionis tribuenda sit: profecto non uno nomine chylificationis negotium impedit ac remoratur. Etenim salinarum particularum spicula nimium involvuntur ut caput exferere, inque assumpta agere nequeant: aqueæ pariter arctiori reliquarum saepius insuper crassiorum ac copiosiorum connubio detentæ, hinc que muci magis, quam justi seri faciem præ se terentes alimentorum superficie adhærere videntur, poris earundem exclusæ, qui, licet ipsis solis aut pauciorum gelatinosarum satellitio stipati pateant, haud tamen copiofiori

fiori insimul crassiorum numero admittendo respondent: accedit, quod, deficientibus aut oppressis nimium ac coercitis subtilioribus motum reliquarum intendentibus, contra vero abundantibus artiusve sibi implicitis movendis aliis particulis, motus intestinus menstrui nostri languescat, quo alias uberior agitatæ salinæ ac aqueæ moleculæ felicius munere suo defunguntur: quid? quod si vel pluribus assumta alimenta instructa essent particulis gelatinosis, chylosis, menstrui nostri ductui facile promteque obsecundantibus illæ tamen vix ac ne vix quidem poris ejusdem excipi, ac detineri possint, utpote jam anteas satis superque repletis atque onustis. Adeo chylificationem retardat, imo ferè penitus sufflaminat menstrui crassities, ut cauarum reliquarum nulla pari cum eademi passu ambulare videatur, quin hæc omnes longe à tergo post se relinquat.

### §. VII.

Proximum nunc est, ut II. alia chylificationis impedimenta recenseantur, quorum culpa menstruum nostrum minus commode ac perfecte eam perficere deprehenditur, quamvis ei in acceptis ferenda haud sint secus ac illa, circa quæ haec tenus occupata fuit præsens tractatio, quin potius partibus continentibus ipsisque quasi in subsidium venientibus vicinis aliis unice debentur: quale quidem est caloris sufficientis defectus, quem utr à sanguine ejusque uberiori motu lucrantur partes solidæ, ita contento liquori facilime inpertinent ac elargiuntur. Jam vero quantum iste extractionem quamvis acceleret, ac promoveat, neminem latere potest in chymia vel levissime versatum. Nec ratio obscura est, cum calor in intestino uberiori particularum motu consistat, aut certe abs-

que eo concipi nequeat , cuius defectus ut extractionem alimentorum remoretur ac fere sufflaminet , in præcedentibus dicta satis superque declarant . Accedit , quod calore fluiditas ac tenuitas liquoris nostri conservetur , utpote ab intestino motu pariter dependens , quo languescente , particulae ramosæ propius coëntes seque mutuo implicantes , quam modo tantopere culpavimus crassitatem , menstruo nostro inducunt . Sed , nec minoris momenti est *motus ventriculi atque intestinorum peristalticus* dictus , quem non insuper habendum esse , vel inde inferre licebit , quod vasorum continentium crebriori agitatione extractiones suas chymicorum filii mirum quantum adjuvare obseruentur . Et profecto , cum tantum motui liquoris nostri intestino tribuendum esse constet , quidni & huic , qui à partibus solidis proficiscitur , assurgamus , siquidem extractionem præstantes particulae in alimenti extrahendi frustula ac moleculas , hæque rursus in illas identidem impelluntur , uno eodemque prorsus subsequente effectu , cum , utrum cuneus motus in objectum findendum ac diffringendum , an vero hoc in eum quiescentem agatur , ac impingat , eodem recidere mechnica testetur . Quid ? quod ipsa alimenta , dum in se in vicem inque ipsius organi nostri parietes ac tunicas continuo aguntur , insignem attritionem atque comminutionem sustineant , sive majorem acquirant superficiem (namque in quo plura atque minora frustula aliquid dividitur , eo majorem id ipsum superficiem lucrari certissimum est , ut adeo longe plures ac numerosissimæ menstrui liquoris particulae uno eodemque momento undique in eam simul irruere possint , chylificationis negotium felicius perfecturæ , quam si contra minorem nec adeo

adeo expansam superficiem obtinuerint, sique paucioribus menstrui moleculis exposita impetum earundem iustusque parcus admittant. Quandoquidem ergo tantam chylosi remoram ponunt calor motusque ventriculi ac intestinorum imminutus, recte causarum immediatarum classi inseri poterunt *viscera ista sanguine vel parciore vel aquosiore aut spissori praedita*, utpote qui tantum istis calorem praestare nequit, quantum consuevit copiofior aut uberiori motu gaudens, adeoque calore largiori actu praeditus. Ulterius eadem heic accusari poterunt, si sufficienti spirituum animalium quantitate haud sint instructa, aut sanguinem parciorem, aquosorem aut crassorem possident, aut nimia demum fibrarum suarum muscularium laxitate, extensione, constrictione, continua solutione, similique malo laborent, cum, quæcumque talis ad sit dispositio, inepta sint, quæ motum consuetum justo modo possint perficere.

### §. VIII.

Sed & 3. alimenta ipsa examinanda veniunt, quæ non una ratione Bradypepsiam inducere, certum est. Duriora enim ac firmiores, arctioresque noctis compagem non aquarum solum, verum salinarum molecularum vim pertinacius elidunt, nec nisi repetitis diu multumque earum iictibus fibræ rigidiores diffinguntur ac dilacerantur, totaque massa eo usque comminuitur atque subigitur, ut aqueæ particulæ altius eam penetrare chylosamque substantiam abripere tecumque auferre possint. *Crassa, mucosa, viscida, pinguia atque oleosa*, & si quæ dantur hujus farinæ alia assumta, salina spicula involvunt, sique eorundem actionem frustrantur; aqueas vero moleculas vel penitus excludunt vel ægrius admissas ramosis plexibus irretiunt ac detinent; utrarumque denique motum

tum torpore suo atque inertia imminuunt ac supprimunt; tantum abest, cum arctius sibi involuta atque mutuo implicata cohæreant, ut aquearum ductum sequantur; quemadmodum & speciatim pingues ac oleofæ particulæ aquearum consortium pertinacius respiunt, eo forsitan potissimum nomine, quod ob copiosiores, quibus instructa sunt, ramulos laterales aquæ porulis minus respondeant nisi isti salium beneficio magnam partem præscindantur, sicque mutua copula atque arctior implicatio prius quodammodo solvatur. Copiosiores assumantur cibi? mensstrui activitatem, justa proportione sublata, superabunt, ceu ex §. XII. constare poterit, motumque ventriculi ac intestinorum non secus ac ponderosiores impedit, minus dextre masticentur, sed majoribus bolis deglutiantur? minori pollebunt superficie, adeoque priusquam ulterius comminuantur, actionem menstrui extractionem molientis parcus admittent. Sint actu frigidi aut aquositate uberiori abundant? liquoris nostri particulas activas nimis diluent, motumque ejus adeoque vim omnem imminuent atque infringent: Contra aquositate omni destituuntur, aut liquidorum assumptio negligatur? augmento isto destitutum menstruum quantitate deficit, nec extrahendæ assumtorum moli respondebit. Et quid opus est longius hisce immorari, ac in minima quævis momenta, quibus alimenta delinquunt, anxie inquire, cum hactenus dicta facilem reliquorum explicationem suppeditent. Sufficiat præcipua capita indigitare, ratione quorum bradypepsiam causæ proximæ ac immediatae instar generant atque inducunt, cum, prout mediatæ causæ speciem gerunt, jam jam novæ considerationi subjicere eas oporteat.

§. IX.

§. IX.

Propero enim nunc ad causarum mediatarum examen, quarum aliæ propinquius, aliæ remotius paulo symbolum suum morbificum huc conferunt, mediatarum proinde vel propinquiorum, vel remotiorum titulum sibi vindicantes, quamvis non defint, quæ causam immedia tam absque interventu ac concursu tertiae producant, duplii proinde causarum ordine rem omnem absolvente. Quod ad propinquiores attinet, quæ uti causam immedias tam producunt, ita ab alia ipsæ rursus excitantur ac foventur, apprime hic argui merentur varia Mseæ vitia, uti *penuria ejusdem aut seri diluentis defectus*, largiorem menstrui nostri proventum primis viis denegans: nec non *nimia aquositas, particularum salinarum, subtiliorum spirituosarumque justa quantitate deficiente, effectum iner memque liquorem suppeditans*: quin & *vitiosa crassities ac spissitudo*, à quâ melioris notæ menstruum haud licet exspectare. Atque hæc Mseæ vitia alio insuper nomine hic accusanda sunt, quod scilicet justam sanguinis quantitatem ventriculo denegent, aut aquosum, inertem, ac viscidum ac proinde justo calore destitutum eidem obtrudant, ne nunc dicam, quod ejusmodi sanguis partibus illis id præstare nequeat, quod ad motum consuetum perficiendum præstare illis debebat. Atque cum motus iste spirituum animalium ministerio potissimum peragatur, in censum causarum harum quoque veniet *corundem in toto penuria ac defectus*, qui cum ad ipsas quoque chylificationi dicatas partes deinde resulteret, non potest non fibras earundem musculosas ineptas reddere, quo minus con sueto suo officio defungi possint.

§. X.

Restat, ut nunc quoque in medium prodeat istarum  
C caussa-

causarum agmēn, quæ vel remotius paulo ad affectus  
nostrī generationem concurrentes, ex propinquioribus  
modo expositis aliquam excitant, vel ipsam etiam cau-  
sam immediatam statim producere aptæ sunt, absque eo,  
ut propinquor quædam, immediatam demum genera-  
tura, insimul concurrat. Quandoquidem autem numreos-  
sissimus ac prope imminens causarum harum datur pro-  
ventus, adeo ut vix quæpiam inveniri queat res vel ex  
non naturalium vel præternaturalium ordine quæ non  
ali quando fabulam istam lusisse deprehensa fuerit: insti-  
tuti præsentis ratio prohibet quo minus omnes, quæ huc  
trahi poterant, sollicitius enumerare, ac singularum agen-  
di rationem curatius exponere allaborem, quin potius spe-  
ciminis loco præcipuas quasdam indicasse, quoque modo  
effectum talem præstent monuisse sufficiet. Ex rerum pro-  
inde naturalium quas dicunt, classe præcipue commemoran-  
da erit *nativa illa dispositio ventriculi & intestinorum*, qua ipsis  
parciora aut minora vasa languifera, sanguinis defectum  
inducentia, vel pauciores minoresve nervorum propag-  
ines quarum culpa spirituum justa quantitate defraudan-  
tur, vel denique pauciores tenerioresque fibræ muscula-  
res, motui debito præstante impares, obtigerunt. Cum  
enim quotidiana, certe non infrequens sit illa anatomico-  
rum observatio, in diversis subjectis vasa parti cuidam  
data ratione numeri, magnitudinis, ac decursus sui mul-  
tum variare, nec minus fibras musculares ipsosque insu-  
per nervos eidem varietati obnoxios esse, haud quicquam  
profecto obstat, quo minus ejusmodi causam in illis  
casibus, certe non adeo rarius ac ægerrime medelam ad-  
mittentibus, accusare liceat, ubi chylificatio lœditur, nec  
tamen ullum humorum, spirituum, partiumve solidarum  
notabile vitium deprehenditur. Atque ita è scho-  
lis medicorum facile exsulare poterit recentiorum stu-  
dio

dio jam satis superque refutata ista partium antipraxia;  
quam occasione hujus potissimum phænomeni excogita-  
tarunt veteres; quod hepar sæpe calidius medicamenta  
respuat à ventriculo frigidore desiderari vifa, licet nulla  
vitiosorum humorum faburra ventriculum lœdat, nec alia  
disparitatis hujus causa manifesta indagari possit, scilicet  
licet eodem caloris gradu polleat sanguis quo ventricu-  
lus imbuitur, ac qui hepati impendit, impar tamen (ha-  
bito scilicet diversæ quantitatis, qua, partes istæ fruuntur,  
justo respectu) utriusque observatur calor, quod ventri-  
culus ob peculiarem vasorum dispositionem eam non  
recipiatur sanguinis quantitatem, quæ ipsi, si pro ratione  
aliorum subjectorum calculum ponas, omnino destinata  
videbatur.

### §. XI.

Ex rerum non naturalium classe primo loco recensem-  
ri solet *Aer*, qui, si *calidior* sit, aqueas, subtilioresque sanguini-  
nis particulas nimium dissipando, seruac spirituum ani-  
malium penuriam inducit, subsequentे necessaria humo-  
rum residuorum crassitie (quas tres causas mediatas  
proximiores modo §. IX. culpavi) cum & diluentibus se-  
ferosis motumque intestinum multum adaugentibus sub-  
tilioribus particulis defraudetur sanguis, & justo spiritu-  
um proventu circularem motum (à quo fluiditas & tenui-  
tas ejus magnam partem dependet) præstantes partes so-  
lidæ destituantur. Nec omnis culpæ expers est *frigidior*,  
si non nihil intensior existat, aut diutius corpus affligat, cum  
humores potenter incrasset ac inspisset; five, quod inter-  
ni aeris elatitudinem indeque pendente motum humo-  
rum intestinum imminuat; five quod rigidioribus & ad  
motum ineptis redditis partibus musculosis quin & coar-  
ctatis vasis viisque omnibus circulationem sanguinis tur-

bet ne dicam, quod, deficiente justa sanguinis fluiditate ac imminuto insuper motu, nec menstrui chylificantis nec spirituum animalium secretio debite perficiatur. Porro Humidior aér serositatem sanguinis adauget subsequente insimul ejusdem crassitie, siquidem cum intestinus motus languefcit, tum moles aucta tardius circulatur tum denique partium solidarum circulationi faventium tonus laxatur, ne dicam, quod deficiente justa sanguinis, quæ motu peragitur attritione, parcior spirituum proventus nequeat abesse. Contra vero *siccior* serum majori quantitatē imbabit ac aufert, eandemque crassitatem, diversa quamvis ratione, sanguini inducit, quatenus seri diluentis notabili quantitate defraudatae particulae sanguinis ramosæ propius coeunt ac fortius sibi mutuo implicantur; quin & sicciores rigidioresque redditæ partes solidæ motum consuetum, quo sanguis in circulum agitur, rite exercere nequeunt. Nec minus chylificationis negotium is ipse turbare poterit; sive *crassior* particulas elasticas parciori manu Mſeæ suggerat; sive *ponderosior* interni aëris elasticitatem indeque pendentem motum humorum intestinum gravitate sua nimis compescat; sive *vitiosis effluviis pollutus* inimicas noxiasque corpori particulas inferat; sive denique tempestatibus agitetur, aliisve modis vitium contrahens à statu naturali longius recedat.

### §. XII.

Quod ad *cibum* potumque attinet, quos §. VIII. recensi, errores omnes hic quoque culpari poterunt, non quidem quatenus cauſæ immediatae instar fefe gerunt, sed quod difficilem ac imperfectam digestionem chylus crudus ac vitiosus presso pede sequatur, eodem vitio Mſeam, cui commiscetur, imbuens ac contaminans. Insuper hic accusari merentur *assumpta ponderosiora nec non copiosiora,* quod,

quod, extensis eorum culpa ac distentis, ultra quam pat-  
est, ventriculo ac intestinis, fibrarum muscularium tonus  
destruatur, siquidem spirituum animalium expansio, quam  
molitur, earundem inflationem ac corrugationem præ-  
stare nequit, cum elongatae nimium vim eorundem non  
admittant penitusque eludent. Paripropemodum ratio-  
ne peccant *liquida copiosa*, quæ fibras musculares laxant  
nimium & emolunt, sicque ad motum præstandum in-  
eptas reddunt: insuper serositatem sanguinis augent, ac  
salinas particulas nimia quantitate abripiunt, & è corpore  
educunt. Neque silentio prætermitti debent *acida*; five  
alimentis tanquam blandimentum palato amicum, majo-  
ri copia addantur; five medicaminis loco ad ipsum  
nostrum aliosque ventriculi affectus curandos assumantur,  
siquidem ipsum menstruum ventriculi liquorem po-  
tentissime inspissant ac coagulant, similemque toti deinde  
Mseæ notam inurunt, subsequente necessario ipsorum  
spirituum animalium penuria, imo omnium eorum, quæ-  
cunque ad chylificationem aliquid conferre poslunt, sub-  
sidiorum vitio aut defectu; non obstante, quod ab eorum  
usu, cum major salium ejusmodi copia gravius & non  
raro ad doloris usque sensum ventriculum pungat ac velli-  
cat, avidius appetantur cibi, majori sui quantitate actio-  
nem ventriculi ulterius turbantes ac imminuentes. Me-  
liori forsitan loco haberi postulabunt, nec tamen cul-  
pæ eaque satis gravis absolví poterunt illi, qui *vini ge-*  
*nerosioris* aut *spiritus vini*, indeque paratarum *aquarum*  
*vite dictarum*, similiusque spiritu sarum usu largiori delectan-  
tur, cum talia non solum majori quantitate distendendo ac  
laxando, tonum ventriculi imminuant, verum etiam par-  
ticulas oleosas, sulphureas & quidem quam minutissime  
divisas, insigniori ac fere incredibili quantitate corpori

inferant, quæ alias quascunque menstrui nostri ipsiusque sanguinis moleculas irretiunt, ac quasi compedibus injæctis ligant & coercent, adeo, ut, cum ista calamitas ad ipsos quoque spiritus animales redundet, spirituosa talia vi quadam narcotica pollere nonnullis videantur. Opiata terrea austera adstringentia, pluraque alia sicco pede prætereo, cum eorum noxa omnibus cognita magis ac perspecta sit, nec agendi ratio tantis tenebris involuta videatur,

### S. XIII.

Sed & ulterius virgula censoria notandæ mihi sunt Vigiliae, motus corporis atque exercititia, studia, similesque animi labores, quin & affectus impetuiores, cum singula ista, si modum excesserint, sanguinis motum utrumque insigniter intendant, sive aqueas ac spirituosas ejus particulas nimium dissipent, subsequentem necessario incrassatione (quo ipso nomine aërem calidorem supra §. XI, culpavi) imo ipsi spiritus animales cum in aliis partibus majori solito copia consumantur, parciores ad ventriculum ac intestina feruntur, magno chyloeos impedimento, quod eo gravius observatur, quo citius ab assumto cibo, ventriculo adhuc replete, eoque majorem eorum copiam desiderante, errores isti committuntur. Sed nec omni culpa vacat somnus nimius, vitaque sedentaria, cum quod tempore somnii parcus secreti tardiusque moti spiritus animales non sufficient fibris organi chylificantis muscularibus, quorum beneficio debitum motum perficere possint; tum quod eidem fato obnoxiae partes corporis musculoæ aliæ circulationem (absque qua fluiditatem ac tenuitatem justam ipsi haud constare posse toties commemoravi) sanguini rite præstare nequeant, quam ipsam

ipsam cum motus corporis insigniter promoveat, male  
fibi suoque ventriculo confulere certum est, qui consue-  
tis laboribus fese subtrahentes, ac exercitia motusque  
corporis negligentes, otio ac quieti nimium indulgeant.  
Nec minus sanitatis detrimentum experiuntur illi, qui  
curis, tristitia similibusque animi affectibus frena laxant, si-  
quidem ea ratione non solum spirituum magnam copi-  
am consumunt, verum etiam motum eorundem immi-  
nuunt ac retardant, ceu ex modo dictis abunde elacet,  
& chylificationi & circulari sanguinis motui obicem  
ponunt.

§. XIV.

Restat adhuc excutiendus rerum præternaturalium  
ordo, quæ uti ad producendum affectum nostrum ma-  
ximæ observantur efficacitatis, ita diversa ratione sym-  
bolum suum morbificum conferre certum est. Aliæ enim  
ipſi Mſeæ aut, quo absque præſente valetudinis detri-  
mento carere nequit, ſeri defectum inducunt, quemad-  
modum hemorrhagie, diarrhoeæ, alieque insolite aut modum  
excedentes evacuationes humores ad oculum è corpore  
eliminant, febres vero nonnullæ aliquæ sanguinem enormius  
agitantes affectus serum & quicquid tubriliūm molecula-  
rum sanguini innatāt, insensibiliter magis dissipant, &  
reliquas particulas nimis atterendo, comminutasque pa-  
riter evacuando, totius Mſeæ quantitatē plurimum im-  
minuunt. Contra vero alii ſunt morbi, in quibus mo-  
tus sanguinis languidior justo atque torpidior exiſtit,  
qui non ſolum particulas ramosas propius cōire, ſibique  
mutuo implicari permittit; verum insuper, quod debi-  
tam eorum attritionem minus præſtet, ulteriorem eidem  
crassitiei anſam dat, quin etiam imminutis conſuetis fe-  
cre-



cretionibus aquosis terrestribus aliisque corpori inutilibus particulis sanguinem onerat cumulatque. Atque hæc Mſeæ vitia , uti motu languidiori nonnunquam debentur , certe ejusdem culpa mirum quantum augentur & intenduntur, ita eundem sæpius præcedunt ac inducunt, aut producta nimium ulterius retardant ac sufflaminant, cum , uti in statu f. n. ita etiam si p. n. sese res habeant, pleraque omnia quasi in circulum redeant , & quod affectus instar jam produci videbatur,id illam rursus, à quâ generabatur , caussam fovere ac intercedere observetur. Quod si ipsorum porro spirituum animalium ratio habeatur , rursus insignis rerum præter naturalium numerus Bradypepsia fayere deprehenditur, quatenus scilicet sanguinis quantitate aut qualitate peccantis & à quibus ista vitia proficitcuntur variorum morbosorum affectuum culpa debita spirituum copia cerebro haud offertur ; vel viatiatus sanguinis motus, tanquam caufsa secretionis efficiens, aut male affectum cerebrum ac genus nervosum secretionem ac dispensationem eorum impedit, vel denique majori solito copia alibi consumuntur, aut inordinate ac depravate agitantur ( quod in affectibus dolorofis potissimum, observamus) ut ad justum organi motum perficendum ineptiores reddantur. Quid dicam ipsas chylificationi dicatas partes, in quibus quam sæpissime omnis mali fontem scaturire experientia docet; sive quod obstructione scirrho, aliove vitio laborantes glandule secretiōnem menstrui liquoris præstare nequeant; sive vulnera, ulcera , similiaque vitiosi humoris admixtione illud inquinent ac contaminent; tumores inflammations, & quæ compressionem aut tensionem vasorum fibrarumque muscularium inferunt, plurima alia, justam spirituum ac sanguin-

sanguinis, à quo secretio fieri debebat, copiam non ad-  
mittant; sive denique *fibræ musculares ex ea, diffictæ lace-  
rare*, alioque modo læsæ officio suo defungi nequeant.  
Ut plura alia sicco pede præteream, quæ una cum ha-  
etenus recensitis in ventriculi perniciem hincque to-  
tius oeconomiæ animalis detrimentum egregie non-  
nunquam conspirant.

§. XV.

Diagnosis affectus nostri per quam est facilis pen-  
detque maximam partem cum ex appetitu tardius re-  
deunte, quod assumta ventriculo negotium faceant,  
ac tardius eundem derelinquant; tum ex molestia ac  
dolore ventriculi gravativo, assumptionem alimento-  
rum sub sequente, qui modo citius ac quasi presso pe-  
de eam comitatur, quod fibræ musculares justo ro-  
bore desitutæ ac moli sustinendæ impares facile  
languecant; aliquando vero evenit quod parum  
aut nihil assumentorum ex ventriculo expellatur (ceu  
successive fieri debebat) hinc longiori mora fati-  
gatæ fibræ minus arcte eadem complectuntur, quin  
potius mole ista deorsum trahantur & extendantur.  
Atque uti interea temporis assumentorum saporem &  
odorem referentes ructus non raro occurunt, quo-  
rum indicio assumpta parum digesta in Ventriculo hinc  
inde voluntari cognoscuntur: ita saepius postmodum pér  
alvum parum mutata excernuntur, aut a ventriculo  
pondere isto, cui vitiosa qualitas non raro accedit, irri-  
tato, inque motum convulsivum inversum aëto sur-  
sum per os rejiciuntur, sub sequente insuper pallore  
faciei, virium defectu, aliisque vel penuria vel cru-

D

dita.

ditatem chyli arguentibus symptomatibus. Quod ad causarum morbificarum dignotionem attinet, longum nimis nec operæ pretium videtur, eam curatus persequi, cum causæ mediatæ remotiores, quæ ex relatione æ gri sapissime cognoscuntur, nonnunquam in sensus medici occurunt, aut si vel ex rerum præter naturalium ordine sint diligentiori circumstantiarum omnium consideratione non adeo difficulter eruuntur, causas propinquiores (dummodo superius exposta earundem agendi ratio probe pensitetur) clare satis ac aperte indicent, quæ ipsæ insuper pluribus aliis symptomatibus, quæ præter Bradypepsiam abiisdem proficiscuntur, non secus ac forex indicio suo sufficienter sese produnt. Cæterum, ut de Prognosi paucula addam, affectum nostrum flocci pendere haud decet, utpote quem crassities ac cruditas chyli tantum non semper comitatur, sub sequente necessario totius Mseæ, cui commiscetur, corruptela ac cruditate, quam lernam malorum ac morborum innumerorum fœcundissimam matrem recte appellaveris, uti quidem practicorum omnium consensu certum est ac exploratum, ut laboriosa probatione facile possim supersedere. Utrum vero medelam admittat nec ne, ea que brevi tempore sperari, an vero non nisi tardius ac difficilius obtineri posit, ipsarum causarum à quibus malum pendet, consideratio facile docebit, prout scilicet illæ graviores levioresve vel prompte corrigi posunt, vel removeri pertinacius recusant.

#### §. XVI.

Expedita affectus nostri Theoretica consideratione ad curationem ipsam me confero, tribus nixam indi-

indicationibus quam triplex causarum supra recentiarum ordo suggerit, inverso tamen ordine, cum à causa medita remotiori quam ultimo loco exposui, indicatio I. peti debeat, ejusdem vel remotionem vel correctionem desiderans. Atque cum neminem latere possit, quomodo ratione rerum non naturalium scopus præfixus obtineri possit; de rebus autem p.n. sollicitum me esse instituti præsentis ratio prohibeat, siquidem alias universa propemodum praxis medica excutienda hic foret; tantum de ventriculi debilitate ista atque conformatio naturali, quam supra §. X. tetigi, verbulo monuisse sufficiet, cum mutari ea penitus nequeat, actuali tamen calore eumque foventium integumentorum externorum accumulatione, emplastrorum stomachicorum applicatione, similibus que artificiis opus esse, quo major sanguini rarescens atque amplior spiritibus animalibus expansio concilietur, viæque ac pori omnes laxentur, quo ulteriore utriusque fluidi copiam admittant. Nec rejicienda sunt penitus olea & balsama aromatica, quæ exterius regioni ventriculi illinuntur, cum activarum particularum, quibus abundant, plurimæ, si ad ipsas primas vias penetrare nequeant, certe vicinarum partium poris se insinuant motum sanguinis intestinum atque ita calorem intendentes: quod quidem beneficium, quatenus ad totam Mseam inde quodammodo redundant, non hujus loci est, sed ad causam modo removendam spectat. Qui vero insuper assumenda quævis, quantum fieri potest, calidissima capit, eum quam optime valetudini suæ consulere certum est ac indubitatum.

§. XVII.

Indicationem II. suggestunt causæ mediatæ propinquiores, quæ pariter earum remotionem vel correctionem imperant, pro varietate causarum diversis modis obtainendam. Atque si parcior ipsius Mſeæ fit proventus, alimenta facilem digestionem admittentia & gelatinosis particulis abundantia locum convenient, non neglecto insuper aromaticorum simili- umque stomachicorum usu, quo & citius ac facilius chylificationis negotium absolvatur, ac ulterior chyli utopte laudabilis activisque particulis turgidi, postquam sanguine permixtus est, digestio obtineatur. Nec minus prompte ſeri defectui, quoties eo sanguinem laborare contingit, liquida aquosiora medebuntur, si largiori paulo quantitate assumantur, dummodo (ceu ubique fieri debet) removeantur prius causæ remotiores, damnum iſtud inferentes, quarum tamen curationem moliri loci hujus non est. Quod si contra aquosior fit sanguis, non ſolum abundantes, quibus reliquæ nimis diluuntur, ſeratas particulas, largiori instituta diaphoresi ac diuresi, evacuare par erit; verum ipſæ etiam deficientes ſive ſalinæ ſive ſpirituosæ majori copia ſanguini fuggerendæ ac inferendæ erunt, utque iſtæ numerosiores deinde generentur, latentesue felicius evolvantur atque extricentur, omni studio allaborare conveniet. Ad omnia iſta non magis opportuna erunt alia, quam quæ ſalinis volatilibus, oleofarum tamen accessione commode impeditis & mitigatis, particulis abundant, ac liquori vinoſo & ſpiritiui oleoſo per fermentationem paratis lubentiffime nubunt, feliciterque in praxi junguntur. Etenim hac ratione particula-

cularum subtiliorum in motu uberiori constitutarum , earumque ex parte salinarum , uberrima accessione sanguis locupletatur , quæ & defectum eorum , quas desideramus commode & resarcirent , & reliquas particulas acutie sua incidunt , secumque in motum uberiorem abreptis majorem communionem & attritionem inducunt , ut ramosarum complexu liberata salia caput ex ferant , largior spirituosalium ad justam subtilitatem evectarum proventus exturgat , autisque glandulosarum partium secretionibus abundantes ac molestæ corpori moleculæ proscribantur & eliminantur . Nec contemnenda sunt cæteris paribus , talia fixa , cum alcalia , tum præcipue falsa seu enixa ; sicuti nec laude sua frustrare par est iis ipsis saepius palmam præripientia amara , quæ , qua talia , notabili fixi , & quidem ad falsi indolem proxime accedentis salis quantitate gaudent , cui copiosior eaque subtilior in aquæ poris hospitari non recusans , ac quasi solubilis terra intimiori connubio juncta est , beneficio cuius impediuntur salia , quo minus spiculis suis adeo potenter agant , & partibus solidis ac primis præsertim viis tantam pariant molestiam . Quamvis autem fixiora istiusmodi remedia ratione subtilitatis particularum suarum multum cedant volatilibus , utpote nonnisi leviori parcioris terræ pondere oneratis ; nec alio polleant motu , quam , quem fluidis permixta eorum impulsui debent : nihilo tamen minus maximæ observantur efficacitatis , ac , si insignior humorum crasfities adsit , præ illis fere commodiora videntur , si quidem copiosioris terræ consortio gaudentia magnitudine moleque sua eas superant , adeoque potentius

tius obvias quasque particulas dividunt atque dilacerant, nec adeo facile iisdem involvuntur ac obtunduntur, quin & diutius in corpore subsistunt ac commorantur. Quandoquidem ergo adeo feliciter eorum beneficio Mææ visciditas tollitur, non potest non intestinus ipseque deinde circularis motus vires refumere, cuius accedente beneficio eo facilius citiusque voti omnis compotes reddemur, ceu ante dicta satis superque declarant. Cæterum longius hisce inhærente, quæque circumstantiae ad instar coindicantium vel contra indicantium uti dicuntur, modo hoc modo istud remediorum genus vel commendent ulterius, vel disvadeant, prolixius exponere, longum nimis foret, nec instituti præsentis ratio concedit, quin potius, cum exdictis jam abunde constet, quomodo humorum crassitiei ac spirituosarum sanguinis particularum defectui mederi liceat, ad ea quæ restant, verbulo expedienda properare jubet.

### §. XVIII.

Scilicet indicationem III. suppeditat causa immediata sive proxima quæ pariter vel corrigenda est, vel penitus removenda. Jam vero qua ratione liquori nostro menstruo consulere liceat §. præcedens satis superque declarat, cum medicamenta sanguini permisceri nequeant, quin prius ventriculi ac intestinorum cavitatem ingrediantur, ibique eo potentius agant, ac vires quasi omnes effundant, quo parcus admixtis aliis diluuntur minusque implicita ac detenta coercentur. Quod si vero major crassiorum humorum satura adsit, qualis ex alimentis male digestis inque ventriculo justo diutius hærentibus nonnunquam enasci-

nascatur, commodum erit, si cætera sunt paria, vomitorii beneficio evacuationem ejus moliri, utpote correctionem non nisi ægerrime ac tardissime admittentis: quamvis, si præter qualitatem vitiosam in quantitate insuper excedente contenta ventriculi haud delinquent, rectius evacuatio ista omittatur, siquidem elapo aliquot horarum spatio ejusdem notæ ac indolis liquor à sanguine secretus, ventriculo suggeritur acerbe adhuc dolenti, nulla urgente, necessitate, & nequidem id suadente utilitate tam violentos ac convulsivos motus excitari, quos i hominum paucissimi impune ac sine magna oeconomia animalis turba ferre observantur. Quod ad ipsorum viscerum chylificationi dicatorum vitia attinet, si culpa sanguinis aut spirituum animalium calor motusve eorum languefacat, non alia, remotis prius cauissimis mediatis, remedia locum invenient, quam quæ §. 16. laudantur. Quod si vero fibras eorum nimia humiditas laxaverit, aromatica blanda, præcipue terræ subtilioris & copiosioris consortio gaudentia commendari merentur, v. gr. cinnamonum, cuius pulvis aut essentia præ destillatis, terrestreitate ista carentibus, in hoc casu conveniet: quemadmodum etiam, si gravius sit malum, adstringentia mitiora nonnunquam adhiberi possunt, quibus ipsis pariter ac acidulis temperatoriis corrugatio blanda fibris induci poterit, si quando assumtorum culpa nimiam passæ fuerint extensionem. Contra vero, si corrugatæ nimium ac quasi constrictæ detineantur, liquidis copiosioribus opus erit, & laxantibus eas, & inimicas particulas eluentibus, nisi forte spasmodicum quid subfuerit, cui ut & solutæ continui unitati quomodo medela fieri possit, aliunde peti debet.

bet. Denique quod ad alimentorum vitia attinet, cum assunta & in ventriculo hærentia corriger amplius non sit integrum, vomitorii beneficio nonnunquam eliminari poterunt, vel pensitata probe, qua peccant ratione, quantum fieri potest, ventriculo succurrere par erit, ut v. gr. pinguibus salina, siccioribus liquida, aquosioribus aromatica similiaque superingerantur.

§. XIX.

Restaret, ut more consueto diætæ, quæ teneri debeat, rationem exponerem; at vero quæ fugienda sint ægro, ne ulteriore sibi noxam contrahat, §. VIII. XI. & sequentes abunde commonstrant: quæ vero saluti esse possint ipsi medicaminum vicem quodammodo impletia, ad ductum eorum quæ de curatione rite instituenda modo tradita sunt, seligi debent, ne dicam, quod ex abuso eorum pluribus supra exposito legitimus usus facile intelligatur. Quare cum navicula portum jam teneat, vela contraho, DEO O. M. pro concessis viribus gratias habens agensque immortales

F I N I S.

Uf 1378

ULB Halle  
001 958 240

3




sb

V077



B.I.G.



DISSERTATIO SOLENNIS-MEDICA

BRADYPEPSIA  
SIVE  
TARDIORI VENTRI-  
CULI CONCOCTIONE,  
*Quam*

AUSPICE DEO

IN ILLUSTRI FRIDERICIANA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO WILHELMO  
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRAN-  
DENBURGICI HÆREDE, ETC. ETC.

P R Ä S I D E

DN. FRIDERICO HOFFMANNO  
MEDICINÆ ET PHILOS. NAT. PROF. PUBL. OR-  
DINARIO, POTENTISS. REGIS BORUSS. CONSIL-  
LIARIO ET ARCHIATRO,  
PATRONO SUO ÆTERNUM COLENDO,

PRO GRADU DOCTORALI  
SUMMISQUE IN MEDICINA PRIVILEGIIS  
RITE IMPETRANDIS

ad d. Jul., MDCCXII. horis ante- & pomeridianis  
IN AUDITORIO MAJORI

Eruditorum disquisitioni publicæ submittit

FRIEDERICUS PFENNING,  
Kil. Holsatus.

HALÆ, Typis IOANNIS GRUNERI, Acad. Typogr.